



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Transmutatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A adulteræ uxoris maritum dicere volumus, sive ignavum, sive stupidum, aut nullo animo prædicum hominem notare. Cuculum appellamus, ut apud Horatium Sermonibus :

*Tum prænestinus falso multumq; flæenti
Expressa arbussto regerit convicia, durus*

*Vindemiator, & invidius cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce Cuculum.*

*Lib. 1.
Sat. 7.*

Solent, inquit Porphyrio, levia rustici circa viam arbusa vindemiâtes à viatoribus Cuculi appellari: Eadem ferè Plin lib. 18. c. 16 & huc allufi Plautus in Asinaria. At etiam cuculus: sferge amator. i domum.

tum illi provocati, tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, ut viatores illis cedant, contenti eos Cuculos iterum atq; iterum appellasse. Ego cum Octobri mense Roma Neapolim proficiscerer, in eiusmodi jocos incidi, per continuum diem conviciis hujusmodi delectatus. Quare cum Acrone dicere possumus, hoc autem ipsa re novimus, quemadmodum viatores quos in itinere vindemiatores per agros cospexerint, conviciis agitare gaudeant, illique ita respondere, ut Cuculum eam apellent quasi pigrum, ignavum scilicet ac nihili hominem. Sed hoc parum est, & quod à Porphyrio dicitur, subfrigidum: hodie siquidem res agitur calumniis etiam vehementioribus: viatores enim eos nunc Pulterones, nunc Cornutos, nunc alii atque aliis conviciis incesunt: illi contra, sive civis, sive magistratus, sive Rex ipse occentare cœperit, omne opprobrii genus regerunt, tegendisque retectis turpissima quæque minitantur: præsertim si celsissimis quæ frequentes tota regione sunt arboribus infederint: quamvis id impune toto agro Compano Neapolitanoque, tempore vindemiæ licet, ne quid Liberi liberati detrahatur. Atque hoc illud est quod Flaccus ait: *Durus vindemiator & invidius cui sæpe viator cessisset.* Quoniam vero species Cuculi certo anni tempore non multum differt ab Accipitre, locus fabulæ datus, quam in Arati vita Plutarchus refert. Ipsa enim inducitur minores aviculas percontari, quare fugerent se conspecta, quæ nullam præ se ferat ferocitatem: quoniam, responderunt, suspicamur te aliquando futuram Accipitrem.

TRANSMUTATUS. CAP. XXXIX.

Possumus igitur hominem, qui vel mores vel effigiem ita commutarit, ut alius pene videatur, per eundem hanc avem significare. Ea enim figuram immutare creditur, & in aliud transire genus, cum inter Accipitres omnino numeretur, licet unguibus sit haudquaquam aduncis, neque capite Accipitri similis, sed colore tantum, rostro quoque magnitudineque columbino potius quam Accipitrino.

PULICUM DEFECTUS. CAP. XXX.

Alii porro, quoniam Ægyptios animadvertent de pulicis defectu describendo sollicitos fuisse, quippe orgianum in eo significato proposuerant, addidere ipsi Cuculum, & humanum vestigium, qua specie pulicum exterminationem indicarent. Ferunt enim, quo quis loco primum audiat pulices quid. alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium inde fodiatur: non gigni pulices, ubicumque pulvis eo vestigio compressus, sparsus fuerit. Hæc observarunt Magi. Pulicum vero nuncupatione humiles sordidæque curæ sunt intelligendæ, quibus impliciti vitam agimus anxiam & inquietam. Multa enim, licet ea pingere aut sculperè insanientis vaniq; sit ingenii, ob exiguitatem, quæ minus repræsentari potest, usu tamen loquendo frequenter usurpantur. Jupiter in Cuculum mutatus.

JUNO CAP. XXXI.

Pausanias, ubi opera ea recenset, quæ Mycenis spectatu digna viderentur, in sceptro, quod in Junonis manu erat, Cuculum insedisit dicit: eaque de causa signum ita fieri solitum, quod Junonis desiderio Jupiter aliquando in eam aviculam se converterit: tam inania illi de diis suis comminabantur. Quinetiam locum Coccygium appellatum authores celebrant, in quo Jupiter in Cuculum sit mutatus. Apud interpretes Theocriti ita leges, Jovem Junonis congressum appetiisse, rem tamen occultare voluisse: mutatum itaque in Cuculum, abiisse in montem qui tunc Tronax, postea vero